

Universitätsbibliothek Wuppertal

Artivm scriptores minores

Keil, Heinrich

Lipsiae, 1923

Augustini Ars breviata

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1978)

AVGVSTINI

A R S B R E V I A T A

E I V S D E M R E G V L A E

Augustini de arte grammatica duo feruntur libri. quorum alter ab Ioanne Amorbachio in primo volumine operum Augustini Basileae a. 1506 primum editus est hoc titulo, *Eiusdem dñi aurelii augustini hipponensis episcopi de grammatica liber incipit*, et in fine libri, *Sancti augustini hipponensis episcopi liber de grammatica explicit*. eundem librum et Augustini editores cum reliquis eius operibus repeterunt et Putschius inter latinos grammaticos recepit. alterum ex codice Palatino 1746 edidit A. Maius nov. pat. bibl. I 2 p. 165 sqq., deinde Carolus Fridericus Weberus ex codice Bruxellensi, adhibito praeterea Parisino 7520, magis emendatum exhibuit Marburgi a. 1861 ita inscriptum, *ars sancti Augustini pro fratrum mediocritate breviata*. ex manu scriptis autem codicibus utrumque librum continent codex Parisinus 7520 undecimo saeculo scriptus, *incipit ars s̄ci augustini pro fratrum mediocritate breuiata*. *Latinitas observatio — aptus scene. finit. incip. regula augustini ep̄i de nomine. Omnia nomina — indeclinabile est explicit*, et eodem ordine iisdemque inscriptionibus codex Palatinus 1746, de quo supra p. 313 in excerptis Iuliani ex eodem codice editis dictum est. ille qui olim editus est legitur solus in codice Monacensi 6281, olim Frisingensi 81, saec. X f. 1—17 *in nomine dñi nr̄i incipit regl̄ aurelii augustini de nom. Omnia nomina — indeclinabile est expl.*: cf. vol. IV praef. p. XLIV. alter, qui a Maio editus est, in Bruxellensi codice teste Webero nono saeculo scriptus est sic, *incipit ars sancti augustini pro fratrum mediocritate breuiata. Latinitas est observatio — aptus scenae. explicit ars sancti augustini*.

De nomine autem Augustini in priore libro, iam prius quam editus esset alter, suspicionem moverant Benedictini operum Augustini editores Antverpiae a. 1700. qui ea quae in illo libro scripta sunt discrepare videbant ab his quae de suo opere professus est

ipse Augustinus retract. I 6, *per idem tempus, quo Mediolani fui baptismum percepturus, etiam disciplinarum libros conatus sum scribere, interrogans eos qui mecum erant atque ab huius modi studiis non abhorrebant, per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdam quasi passibus certis vel pervenire vel ducere. sed eorum solum de grammatica librum absolvere potui, quem postea de armario nostro perdidi, et de musica sex volumina, quantum attinet ad eam partem quae rythmus vocatur.* quare cum et hunc de arte grammatica librum et principia dialecticae et rhetoricae ab Augustino scripta esse negarent, haec omnia inter opera 'olim ipsi perperam adscripta' in appendice tomi primi p. 599 sqq. exhibuerunt. postquam vero novus et ab illo plane diversus de arte grammatica liber inventus est, illo antiquiore iam vulgo inter supposita reiecto, hunc pro genuino Augustini opusculo habere non dubitavit Maius, quamvis ab iis quae ipse Augustinus de studiis suis grammaticis in libro retractationum praedicat non minus alienus sit. saniore iudicio usus W. Crecelius in August. de dialect. (Elberfeldae a. 1857) p. 3 epitomen hanc esse censuit, quam Cassiodorus a se confectam esse diceret de art. et discipl. c. 1, *sed et sanctum Augustinum propter simplicitatem fratrum breviter instruendam aliqua de eodem titulo (de arte grammatica) scripsisse reperimus, quae vobis lectitanda reliquimus, ne quid rudibus deesse videatur, qui ad tantae scientiae culmina praeparantur.* denique Weberus p. 4 inscriptionem libri, artem pro fratrum mediocritate breviam, ita interpretatus est, ut ea quae Augustinus scripta reliquisset post mortem eius in usum fratrum Benedictinorum in compendium redacta esse diceret. ex genuino autem Augustini libro hanc artem sumptam esse conprobari voluit punico vocabulo *dellas* in tractatu de barbarismo posito, quo ante eum usus erat Maius, ut hoc tamquam certissimo argumento Augustinum esse libri auctorem demonstraret. nos, quae partes in his libris Augustino tribuendae sint, non copiose disputabimus. sed fide librorum manu scriptorum, quorum inscriptiones supra positae sunt, illud constat, utrumque librum, quamvis in eodem argumento versetur, tamen a posterioribus grammaticis uni Augustino tributum esse. nam sicut a Donato eiusque interpretibus ea pars quae est de octo partibus orationis bis tractata est, ita ex his Augustini libris qui ferebantur alterum primae editionis locum obtinere voluerunt grammatici eaque de causa pro mediocritate fratrum breviam dicebant, alterum quasi eruditorem, propterea quod amplioribus praeceptis et exemplis illius tenuitatem suppleret, regularum nomine inscripserunt. iam vero quid ex libro Augustini, quem ille de grammatica arte se scripsisse dicit, ad libros in hanc formam redactos propagatum sit, dici non potest, siquidem neuter incorruptam illius manum prae se

fert. neque ulla causa est cur alterum genuinum, alterum suppositum esse dicamus, vel cur in breviatam artem plura translata esse ex genuino libro putemus quam in regulas. nam siquid in alterutro libro probabiliter ad Augustinum referri potest, Africanum certe scriptorem prodere videntur nomina oppidorum p. 1990 posita, quae ita scribi vix poterant nisi ab eo qui in Africa vel vixerit vel natus fuerit. sed omnibus iam ad usum scholarum et eam artis tractandae rationem, quam infimae aetatis scriptores sequebantur, compositis non amplius quaerendum est, unde quaeque petita sint.

Omissa igitur controversia de auctore librorum restat ut de his ipsis et de nostra editione pauca dicamus. uterque autem liber praeter vulgares artis regulas pauca quae digna esse memoria videantur continet. nam in arte breviata quae dicitur paucis de latinitate et partibus orationis praemissis octo partes orationis eo fere modo, quem plurimi artium scriptores post Donatum secuti sunt, cum exemplis declinationum exponuntur; deinde breviter de soloecismo et barbarismo tractatur; postremo pauca exempla casuum cum verbis vel nominibus iunctorum, quae idiomatica dixerunt grammatici, subiecta sunt. veterum autem scriptorum exemplis non usus est scriptor praeter quattuor versus Vergilii et Ciceronem bis commemoratum. paulo maioris doctrinae indicia praebet alter liber, in quo et artes vel artium scriptores saepius commemorantur, et multa exempla Vergilii, quaedam Terentii et Ciceronis, singula Sallustii et Lucani ad regulas confirmandas adscripta sunt, semel etiam Varonis sententia prolata est p. 2008. quamquam his exceptis ne hic quidem scriptor ultra vulgarem regularum scribendarum modum processit, sed consueto more de octo partibus orationis tractavit. quae cum ita sint, operae pretium non esse existimavi breviatam artem denuo edere; pauca tamen, quae alicuius momenti esse visa sunt, excerpere placuit, in quibus Weberi copiis usus sum. regularum autem librum, quamquam hunc quoque a nova grammaticorum collectione olim abesse volueram neque de emendandi subsidiis quaesiveram, tamen, nequid desideraretur, non omittendum esse iudicavi. nam non solum quaedam quae ab aliis tradita non sunt continet, sed etiam exemplis declinationum auctoritatem aliquam a

*) Praeter ea quae infra exhibita sunt duo exempla Vergilii grammaticis usitata adscripta sunt de comparatione nominum p. 9 ed. Web., unde etiam ille dixit (Verg. Aen. I 96) 'o Danaum fortissime gentis Tydide', et de praepositionibus p. 29 ed. Web., super, quando de significat, sicuti est (Verg. Aen. I 754) 'multa de Priamo rogatus'. Ciceronis autem nomen post declinationem pronominum culas nostras vestras scriptum est p. 17 ed. Web., sed huius auctorem, in cuius libris inveniatur, non habemus tanti ponderis, ut imperitorum consuetudini resistere valeamus. nam duorum superiorum ipse Tullius auctor est.

Libr. nat. p. 497

non nullis tributam esse video. itaque ad hunc librum edendum adhibui codicem Frisingensem et editionem principem. quibus ita usus sum, ut Frisingensis codicis scripturam, exceptis quidem levioribus quibusdam vitiis, integram exhiberem; principis autem editionis auctoritatem sequerer, ubicumque non indicata eius discrepantia a scriptura codicis recederem, ceteris locis non omnia quae aliter in illa atque in codice exhibita sunt adnotarem. multa enim ex his non ex codice quo editor usus erat, sed ex coniectura ipsius vel negligentia repetenda esse adparet.

p. 167 ed. Mai.

p. 7 ed. Web.

ARS SANCTI AVGVSTINI PRO FRATRVM MEDIOCRITATE BREVIATA

Latinitas ast observatio incorrupte loquendi secundum Romanam linguam. constat autem modis tribus, id est ratione auctoritate consuetudine: ratione secundum artem, auctoritate secundum eorum scripta, quibus ipsa est auctoritas attributa, consuetudine secundum ea quae loquendi usu placita adsumptaque sunt.

* * *

DE PRONOMINE

p. 172 M.

p. 16 W.

Cuius pronomen infinitum personae indefinitae possessivum, tamquam cum dicimus 'cuius servus est', figurae simplicis generis masculini numeri singularis, quod ita declinabitur, cuius cui cuio cuium a cuio, et pluraliter cui cuiorum cuiis cuios a cuiis. sed haec declinatio plus artis quam ponderis gerit. nam nimis vetus est et a nostra consuetudine repudiata. ita et in genere feminino cuia declinatur ut tabula, cuium ut lignum. sed etiam ista, quamvis in eis auctoribus reperiantur qui sunt in manibus et in ore omnium, tamen consuetudo contempsit. per unum enim pronomen, id est cuius vel quorum, omnia infinita possessiva significantur. dicimus enim cuius vel quorum servus sive ancilla sive templum, sed, quod fatendum est, cum molestia discernendae ambiguitatis in genitivo singulari, quando cuius dicimus, et in plurali, quando quorum. cuius enim et quorum quando possessiva sunt, per casus non flectuntur.

* * *

DE VERBO

p. 177 M.

p. 24 W.

Modo infinitivo numeris et personis esse, solo tempore finito praeterito fuisse, futuro fore. in quarta specie deficit et in participio praesentis temporis. sed docti quidam temporis recentioris, cum haberent necessitatem magna et divina quaedam interpretandi explicandique, et es-

B codex *Bruxellensis*

V editio *Maii* ex codice *Vaticano* bibliothecae *Palatinae* 1746 expressa

5 scripta] praescripta *V* 13 ponderis *Weberus* pudoris *BV* 26 magnam
et divina interpretandi explicandi *B*

p. 177 M.

p. 24 W.

sendi et essendo et essendum et essens dixerunt, quem ad modum scribendi scribendo scribendum scribens.

* * *

DE PARTICIPIO

p. 179 M.

p. 27. 28 W.

Sunt quaedam participia eadem et nomina, ut cultus et sapiens, ratione diversa. nam cultus casu genetivo discernitur: a participio enim huius culti facit, venit autem a verbo color coleris colitur; a nomine autem huius cultus facit. sapiens vero ideo etiam nomen dicitur, quod recipit comparationem: facit enim sapiens sapientior sapientissimus. quae ratio mihi non admodum placet. nam et participia videntur comparationem recipere, si loquendi consuetudo permittat vel hortetur auctoritas, sed tantum praeteriti temporis: nam duo futura non admittunt. quis enim non audet dicere armatissimus, quod Tullius ait? nec tamen armaturior aut armandior ab eo quod est armaturus et armandus dici potest. quod fatendum est, si cum tempore accipiantur participia, difficile videntur posse comparationem recipere. nam et illud quod cultum dictum est facit cultior et cultissimus. sed si ad tempus praeteritum referas, non facit. cultus enim ager ex ipso habitu suo cultus est; si autem tempus attendas praeteritum, utique actione cultoris. accidunt participiis etiam figurae, sicut ceteris partibus orationis, simplex, ut scribens, composita, ut describens.

DE CONIUNCTIONE

Coniunctio est pars orationis adnectens ordinansque sententiam. coniunctioni accedit potestas. potestas est vel quae copulat verba, ut et quae ac; vel disiungit, ut aut vel nec neque; aut explet, ut prorsus videlicet scilicet quin etiam et similia; aut quasi causam reddit, ut nam namque enim quamobrem itaque; aut quasi ratiocinatur, ut ergo igitur propterea et similia. et ideo partim copulativae dicuntur, partim disiunctivae, partim expletivae, partim causales, partim rationales. sed multae omnino coniunctiones sunt, de quibus diligenter grammatici deliberant, quo istorum quinque nominum eas vocent, vel utrum aliae differentiae sint adiciendae. quam litem quia et longum et difficile est solvere, illud de coniunctionibus breve praeceptum sit, ut, cum legimus viros locutionis auctoritate dignissimos, advertamus, quo quaeque loco et in qua sententia poni soleat, ut consuetudine intellegendi bene coniunctionibus uti possimus. nam si quis quaerat, quid sit immo, non facile dixerim, quo modo ei vel definire vel interpretari hanc coniunctionem possimus. proferendo ergo multas sententias, in quibus posita est, miro quodam modo quid valeat insinuamus cum quodam etiam gestu pronuntiandi, ut est immo, ait, o cives, arrepto tempore Turnus, cogite concilium et

5 a participio] ut participio B ut participium V 6 a verbo veneror (venerandi V) color BV 9 nam participia BV 10 hortetur] artetur B 12 Tullius] pro Caec. 21, 61 15 quod cultus Weberus 17 suo (est add. V) cultus est autem si ad (ad om. V) tempus BV 18 praeterita V praetera B 23 accedit potestas est BV 29 deliberabant B 32 praeceptum sit ut Weberus praeceptum sicut BV 33 advertamus quoque quae loca BV 39 immo ait] Verg. Aen. XI 459

immo age et a prima dic. hospes, origine nobis; nostrasque sententias ad tempus fictas adiungere utile est, 'immo tu vade, qui cogis alium', 'immo adde orationi, qui detrahare studes'. huic autem coniunctioni utcumque vicinum est, cum dicimus potius; et ideo ad libros, ut dixi, redeundum est.

* * *

DE BARBARISMO

Sane quidam discernunt inter barbarismum et barbarum, ut barbarismus sit, si pars orationis secundum redditam rationem aliqua superest vitiosa; barbarum autem, si alicuius gentis verbum est non receptum, ut si quis dicat in latino sermone dellas pro carice, quod utique punicum est. si autem nullius omnino gentis verbum pro verbo enuntiatur, tali vitio nec nomen inpositum est.

REGVLAE AVRELII AVGVSTINI

DE NOMINE

Omnia nomina XIII litteris terminantur, quinque vocalibus, a e i o u, sex semivocalibus, l m n r s x, et duabus mutis, c t. a vocali a masculino, ut Seneca Catilina Sylla Iuba Cinna Pansa, graeca Sosia Pasetta, afra Iugurtha Micipsa; a feminino femina Musa tabula regula norma forma et talia; a neutro graeca sunt tantum, ut thema schema et talia, et unum latinum, nomen fluminis Turia, dicente Salustio 'flumen Turia'; a communi advena convena indigena Troiugena et talia; ab epicoeno vipera aquila musca locusta ulula, quam nos noctuam dicimus, et talia. diximus de a littera; nunc de e dicamus. ab e littera vocali nullum latinum nisi iuncta praepositione masculinum invenitur, ut proconsule propraetore.

1 immo age dic hospes ab origine nobis *V*: *Verg. Aen.* l 753 3 immo adeo ideo *B*) rationi *BV* 4 et ideo et ad *V* et adeo et ad *Weberus* 8 superet *BV* 10 delects pro curi e quid *B*. 'Dietrich doctissimus collega, v. delects propter quatuor consonas repudiato, pro dellas, quo in ulla lingua Semitica scirpi genus significari negat, debbas scribendum censet, cum semam debbas arabice sit cyperus fastigiatus et debsie teste Forskalio in *Flora Aegypt.* p. LXIX et 14 scirpus corymbosus' *Weberus* 11 si] esse *BV* an ecce? nuntiatur *BV*

F codex Monacensis 6281 *Frisingensis* 81

§ editio princeps Basileensis a. 1506

14 IN NOMINE DNI NRI INCIP. REGL. AVRELII AVGVSTINI DE NOMINE *F* Eiusdem diui aurelii augustini hippoensis epi de grammatica liber incipit § 16 a vocali om. *F* § 17 iuua corr. iuba *F* uua § Cinna *Putschius* cinsa *F* § graeca *Putschius* creta *F* § pareta § 20 et unum nomen latinum fluminis (ut add. *F*) turia *F* §: cf. *Prob. cath.* p. 3, 13 22 quam nos noctuam dicimus om. § 23 dicamus om. *F* § nisi iunctam praepositioni ut proconsule *F*